

INCANTATIONES

Mox vesper

Mox obruet vesper te floribus violaceis
et vox tua erit
flatibus pinorum similis

Forsan

Nox tacens palmis nigris
stellam fulgidam unam
in cor tuum effundat

Carmina ut modulamina

Praestigiatōres imo cicadae
ut vinum purpureum
in labiis verba excitabunt limpida
Post ex illis nascentur porro carmina
ea verae recordationis modulamina

Inopinate

Saepe inopinate
spes omnes hominis
illa polluentia vitra
quibus ille amoenitati vitae propinat
frangit quidam veniens in alis
avium nigrarum ex regionibus caliginosis

(1955)

Ite bonis avibus

Incantati in vitae itineribus
cum laetis ominibus
et cum citharis in manibus
ab saeculis in saecula
pulsatis eas cantantes omnes
libertati verae coronatae floribus
Attamen illa non est in aenigmatibus
potentium sed in humilium cordibus
O vos qui calcatis vitae itinera
pro libertate semper
audacter semper ite bonis avibus!